

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Meritum I  
cum fonte primo

Quicquid gesseris, parum est; quicquid feceris, minus est. Omne enim meritum breue est comparatione donorum. Numera beneficia, si potes, et tunc considera quid mereris.

Crisostomus omelia de septuagesima.

Sit licet excellens hominum meritum, sit naturae jura conservans, sit legum jussis obtemperans, impleat fidem, justitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellat, semet exemplum, imitantibus praebeat, quidquid gesserit parum est, quicquid fecerit, minus. Omne enim meritum breue est comparatione donorum. Numera beneficia, si potes, et tunc considera quod mereris.

Iohannes Chrysostomus, *Homilia Dominica in septuagesima* (PL 95, col.1207C).